



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Commentaria In Regvlas Cancellariæ Apostolicæ: Sive In
Glossemata Alphonsi Sotto, Glossatoris nuncupati**

Chokier, Jean de

Coloniae Agrippinae, 1674

Regulæ sequentes habentur in Regulis Gregorii XV.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62377](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62377)

GLOSSEMA ALPHONSI.

Ista regula hoc intendit, quod revocat Papa decimas, & alia subsidia imposita per prædecessorem suum etiam contra Turcas, & alios infideles, &c. Item suspendit indulgentias plenarias ex quavis causa, etiam expeditionis contra Turcas à prædecessore suo concessas, &c. ad beneplacitum suum & sedis Apostolicæ: tamen si sortita sunt effectum, non revocat, puta quia annus dedit certas pecunias contra Turcas, ut haberet indulgentias, &c. hoc dicit, & dividitur in tres partes mentales, quæ colliguntur per se, & quia in istis decimis, vigesimis, &c. possem aliqua iuridica dicere, pro nunc tamen taces, nam licet, ultra consilio Lxxii. quod posuit in titulo de Indeis dicat, quod Papa potest imponere decimas contra Sarracenos & alio consilio seq. dicit, quod dare possit cruciatum contra schismaticos & rebelles Ecclesiæ, quod posuit in titulo de privileg. tamen hoc ego non nego, si sic fieret: sed aliquando vertuntur in alios usus, &c. de quo satis dixi alibi, & quia aliquo modo alius sum à sede Apostolica, cum lachrymis tamen sanguinis, non debeo dicere aliquid contra eam, argumen. l. milites juncta gl. C. locati. Vnum tamen hic noto, quod Papa non revocat potestates datas Cardinalibus super prædictis, si sint Legati vel nuntij Apostolicæ sedis, quoad hoc per ea quæ dixi supra regulæ proximæ. Item per verba hic posita ibi etiam cum plena potestate legati de latere, &c. Ex quo infero, quod si potestas imponendi decimas, vel alia subsidia fuit data Cardinali Legato in Hispania, ad hoc à Sixto, ut Andegavensi legato in Francia, quod illa non sit revocata, & tunc nec quoad indulgentias hic expressas est suspensa per prædicta, quia si Papa hoc voluisset, expressisset argumen. cap. ad audientiam de decim. & quod lex non dicit, nec notidere debemus. l. iii. de offic. præsid. Sed quoad indulgentias credo contrarium per verba huius regulæ ibi, quæ ab eodem prædecessore etiam ex causa expeditionis, &c. & hæc sufficiant quoad primam partem, & de secunda & tertia partibus nunc non me intrmitto: quia indirectè videtur ista secunda pars facta ad utilitatem Officialium Curie, & tertia habet in se aliqua dubia, de quib. satis dixi in tractatu Iubilei, quem direxi Sixto.

Hic ponitur finis Regularum Innocentii VIII. sequuntur modo aliquot Regulæ Pauli V. quæ subjiciuntur Regulis Innocentij VIII.

Reg. 63. Revocatio facultatum percipiendi pretium officiorum.

Item revocavit, cassavit, & annullavit, ac irritas declaravit quascunq. facultates perci-

percipiendi primum Officiorum Romanæ Curie pro tempore vacantium in toto, vel in parte, ac quasvis concessiones & collationes, aliasque dispositiones. per fel. rec. Leonem Prædecessorem suum de dictis officijs etiam ex die collationum, concessionum, & dispositionum earundem in antea vacaturis in favorem quarumcumque personarum, Ecclesiarum, Monasteriorum, piorum locorum, Collegiorum, seu eorum mensarum, etiam perpetuò, etiam in vim contractus, & ex titulo oneroso, & sub alia quavis forma verborum, quam & præmissorum tenores pro expressis haberi voluit concessas & factas, quo ad officia, que post obitum ipsius prædecessoris vacarunt, & imposterum quomodolibet vacabunt. Item revocavit, cassavit, ac annullavit, ac irritas declaravit quasvis, in feudationibus, investituris gratias, concessionibus quoquo modo, etiam in emphyteusim aut tempus, seu in perpetuum etiam motu proprio, & de plenitudine potestatis, ac cum quibusvis derogatorijs extratamen consistorium, & sine S. R. E. Cardinalium consilio, & consensu à die constitutionis fel. rec. Pij Pape V. prædecessoris sui super prohibitione alienandi, & in feudandi civitates & loca S. R. E. sub data Romæ apud S. Petrum anno incarnationis Dominicæ millesimo quingentesimo sexagesimo sexto, quarto Calend. Aprilis Pontificatus sui anno secundo, usque in presentem diem per quoscunque Romanos Pontifices suos prædecessores aut mandato, vel auctoritate eorum quomodocumque ac qualitercumque, & quovis colore factas & concessas de civitatibus, terris, oppidis, castris, arcibus, & locis S. R. E. & sanctæ Sedi Apostolicæ tam mediatè, quam immediatè subiectis, tunc videlicet de tempore dictarum feudationum, investiturarum, gratiarum & concessionum, nondum devolutis. Nec non quasvis prorogationes & extensiones quarumcumque feudationum, investiturarum, gratiarum & concessionum de dictis civitatibus, terris, oppidis, castris, arcibus, & locis, tunc videlicet de tempore dictarum prorogationum & extensionum nondum finitarum quibusvis personis cuiuscumque gradus status, & conditionis ac præ eminentiæ, etiam si imperiali, Regali, Ducali, aut alia quavis præfulgeant dignitate, etiam in vim contractus, & ex quocumque titulo etiam oneroso, & per quasvis, tam sub plumbo, quam in forma brevis sub annulo Piscatoris, aut etiam alias quomodocumque, & qualitercumque expe. litas litteras, ac sub quavis verborum forma, quam & præmissorum omnium tenores sanctitas sua pro expressis haberi voluit latissimè extendere.

QVOD FRVCTVS IN TERTIA PARTE AV-
geri possint, vigore clausulæ.

64. **I**tem cum nonnulli in impetrationibus beneficiorum Ecclesiasticorum pro tempore vacantium, & certo modo vacaturorum asserendo illorum fructus, &c. certum per eos expressum annum valorem non excedere, nonnunquam obtineant à sanctitate sua, ut huiusmodi valorem annum augere possint, ut verius possit in consecutione litterarum



rarium super huiusmodi impetrationibus summa, ac valor ipse annuus exprimaliter desuper non specificato, ne de virtute huiusmodi concessionis in posterum habitari contingat, declaravit pretextu concessionis huiusmodi, valorem ipsum usque ad tertiam partem valoris expressi, & in prima, qua de super fiet, litterarum expeditione damnari augeri posse, & eas, quas litteris iam expeditis cum expressione valoris specificati, aut non integro augmento predicto denud desuper expediti contigerit, litteras cum aliquo augmento valoris huiusmodi nullius esse roboris vel momenti, etiamsi motu proprio beneficiales gratie & dispositiones quaecunque a sanctitate sua emanarent.

DE INSORDESCENTIBUS.

65. **I**tem ne personis, pro quibus littere sue sanctitatis emanabant ob generalem absolutionem a censuris Ecclesiasticis, quibus legati forent ad eorum effectum indifferenter: concedi & in litteris Apostolicis apponi solita praestetur occasio censuras ipsas vili pendendi, & insordescendi in illis statuit & ordinavit huiusmodi absolutionem & clausulam in litteris, quas in futurum cum illa concedi contingerit non suffragari non parentibus rei iudicata, incendiarijs, violatoribus Ecclesiarum, falsificatoribus, & falsificari procurantibus litteras, & supplicationes Apostolicas, & illis utentibus, receptatoribus & fautoribus eorum, ac res veritas ad infideles deferentibus, violatoribus Ecclesiasticae libertatis, via facti ausu temerario Apostolicis mandatis non obtemperantibus, & nuncios vel executores Apostolicae Sedis, & eius Officialium eius communi exequentes impediuntibus, qui propter praemissum, vel aliquod eorum excommunicationi a iure, vel ab homine per quatuor menses scienter excommunicationis sententiam huiusmodi sustinuerint, & generaliter quibuscunque alijs, qui censuris aliquibus etiam alias quam ut praesertur, quomodolibet ligati in illis per annum continuum insorduerint.

OFFICIALES NIHIL EXIGANT ULTRA DEBITUM.

66. **I**tem idem D. N. exactionibus, quas sanctitas sua non sine dispendio plerumque fieri intellexit per Officiales Romanae Curiae, qui constituti sibi emolumentis pro exercitio Officiorum, qua obtinent non contenti ultra à prosequentibus negotiorum quorundam expeditionem in eadem exigere non verentur, obviare volens libertate praecipiendo inhibuit omnibus & singulis, quaevis officia in eadem curia obtinentibus, ne de cetero quicquam pretextu Officiorum, qua obtinent, quovis colore, etiam ceterioris expeditionis ultra emolumentum a eiusmodi exigere, seu ad hunc effectum expeditionem eorum, qua eis incumbunt, malitiosè differre, sub excommunicationis, & praeter illam

illam suspensionis à perceptione emolumentorum huiusmodi pro prima ad semestre, & pro secundo ad annum & pro tertia vicibus, quibus sic excederent, privationis Officiorum per eos obtentorum, in quibus sic excefferint pœnis, ac voluit, quod S. R. E. Vicecancellarius & Camerarius excedentes ipsos respectivè, prout eis subsunt per subtractionem emolumentorum eorundem, ac aliis, ut præmittitur, compellant ab huiusmodi illicitis exactionibus abstinere, & contra eos per prædictas pœnas & alias, prout melius expedire viderint, procedant.

QVOD CARDINALES NON COMPREHENDANTUR sub regulis faciendis.

67 **I**tem cum S. R. E. Cardinales ipsi sanctissimo D. N. assistant, ac propterea debeant specialibus prerogativis & privilegijs gaudere, idem D. N. statuit, ordinavit, decrevit, & declaravit, quod in quibuscumque Constitutionibus, & regulis per sanctitatem suam in posterum post hanc primam editionem, & suarum constitutionum & regularum publicationem faciendis, non includantur ipsi Cardinales, nisi illa eorundem Cardinalium favorem concernant, vel ipse constitutiones edenda de eorundem Cardinalium, vel majoris partis eorum consilio edita fuerint.

DE POTESTATE REVER^{mi}.
Domini Vicecancellarii, & Cancellariam
regentis.

68 **P**rimò quod possit committere absolutionem illorum, qui ignoranter in supplicationibus, vel in litteris Apostolicis aliquid scriberent, corrigerent, vel dele-
rent.

Item quod possit corrigere nomina, & cognomina personarum, non tamen eorum, quibus gratia & concessiones fiunt ac beneficiorum, dum tamen de corpore consistet.

Item quod possit omnes causas beneficiales, etiam devolutas committere in curia cum potestate citandi ad partes.

Item quod processus Apostolica auctoritate decretos aggravare possit cum invocatione brachij secularis, & sententias executioni demandari facere contra intrusos & intrudendos per litteras Apostolicas de super consociendas, & non alias.

Item quod possit signare supplicationes manibus duorum Referendariorum signatas de beneficijs Ecclesiasticis, secularibus & regularibus dispositioni
Apostolice

Apostolica generaliter non reservatis, quorum cuiuslibet valor centum florenorum auri de Camera, vel totidem librarum Turonen, parvorum, seu totidem in alia moneta secundum communem estimationem, valorem annum non excedat.

Item quod possit signare supplicationes duorum Referendariorum manibus signatas de novis provisionibus si neutri, & subrogationibus pro colligantibus, in quibus non datur clausula generalem reservationem importans.

Item quod possit ad ordines suscipiendos archidati prorogare terminos de dictis suscipiendis ordinibus usque ad proxima tunc à iure statuta tempora, in quibus sic archidati successivè ad ipsos ordines promoveatur.

FINIS REGVLARVM CANCELLARIAE APOSTOLICAE, & Commentariorum Ioannis à Chokier; quæ S. Pontificis, ac Sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ censure subjiciuntur.

IESU CHRISTO REDEMPTORI, EIVS QVE PISSIMA MARI, semper Virgini laus, honor & gloria.

